DE MEDICAMENTIS FEBRIFUGIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA-GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET
AUCTOR

FERDINANDUS HABEDANK
LITHUANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
R. SIEHR MED. ET CHIR. DR.
J. RADDATZ MED. ET CHIR. DR.
G. KRIEGE MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

Febres intermittentes omnium morborum, qui solos homines occupant, (animalibus enim hicce morbus omnino parcit) longe sunt creberrimae. Vix enim regiones inveniuntur, in quibus hic morbus, sporadicus saltem, non observetur. Inprimis regionibus quibusdam febres intermittentes communes sunt, in quibus epidemicae grassantur. Certo quidem regiones humiliores, paludibus et aquis stagnantibus abundantes, vera febrium intermittentium incunabula haberi possunt. Ex quibus regionibus miasma, quod dicunt paludosum, emergit, perque totas terrarum plagas disseminatur. Tales epidemiae non raro observatae sunt a medicis et descriptae, quorum praestantissimos Willis, Bianchi, Ramazzini et Medicus recitasse sufficiat. Ante paucos dehinc annos morbus ille totam paene Belgiam et Germaniam borealem depopulatus est.

Non expers periculi est morbus, ut nonnulli opinantur, sed gravissimorum spargit vitiorum semina, quorum hydrops, hepatis lienisque obstructiones, cachexiae variae indolis, multaque alia frequentissime observata sunt.

Cura febrium intermittentium non raro magno negotio laboreque peragitur, imo nonnullae v. c. febris intermittens quartana, saepe omnem respuunt curationem, quod praecipue ad tempora spectat, quibus corticis peruviani usus nondum innotuerat, ita ut Galeni temporibus quartana pro medicorum scandalo haberetur. Cinchonae autem detectae, utpote vere divino remedio, perraro febris intermittens resistere potest. Haud reticeamus autem, interdum totas existere epidemias, quas vocant, in quibus chinae paene nullum praebeat effectum, alia autem remedia maximo cum fructu iu usum vocentur. Idcirco nonnulli medici non temere suspicati sunt, varias febrium intermittentium species exstare, quarum signa nos omnino fugiant. Videmus enim non raro febres intermittentes profligatas collae animalis, arsenici aliorumque medicamentorum usu, quae cortice peruviano frustra essent impugnatae. Itaque varias harum febrium existere oportet species, quarum una tantum chinae, altera collae, tertia arsenici ope sanetur. Quam sententiam praecipue S. Hahnemann 1) defendit. Haecce imprimis ad epidemias febrium intermittentium spectant, quae genium quovis fere anno habent alium atque alium. Quocirco I. Frank recte monet: „Utile opus esset,

1) Ueber Chinasurrogate in Hufeland's Journal d. prakt. Arz. Th. 23. St. 4. S. 27.

inquit, characteres febrium intermittentium apprime eruere, quae variis cinchonae remediis surrogatis in specialibus epidemiis devictae fuere." 2).

Medicamentorum, in curandis febribus intermittentibus adhibitorum, legio exstat, quae in dies augetur. Remedia, quibus febrem intermittentem curandi virtus inest, febrifuga nuncupantur. Quorum febrifugorum cognitionem non inutilem esse, quisque intelliget. Itaque, ut dissertationis inauguralis conscribendae officio satisfaciam, in animo est, omnia medicamenta, quae ad hunc usque diem febrifuga laudata sunt, colligere, et praestantissimorum adhibendi methodum exponere. Ut vastum horum medicaminum campum melius emetiri possimus, non inutile judicamus, ordinem quendam persequi, eum quidem, qui chemiae fulcitur principiis 3).

I. E farinosis medicamentis

tantum, quod mihi notum est, radix Marantae arundinaceae in usum vocata est. Medici Galli nuper in ptisanae forma exhibuere in levioribus febribus intermittentibus 4).

---

2) Prax. med. univers. praec. Pars. I. Vol. I. Sec. I. p. 359.

3) Hufeland. Conspectus mat. med. Berol. 1828. Richter's Arzeneimittellehre. Bd. 1—4.

4) Froriep's Notizen etc. Bd. 9. No. 4. S. 64.

II. Gelatinosa.

Gluten animale. Colla animalis. Seguin 5) primus hoc remedium in febribus intermittentibus commendavit. Deinde Gautieri, Gilibert, Hallé, Remer aliique ejus vindices exstiterunt. Praecipue indicatur febribus, quae e sola manant debilitate. Ante frigoris accessum collae animalis uncia eadem aquae ebullientis parte dilutae sumatur et elapsis decem horae minutis haec dosis bis repetatur. Tribus horis a paroxysmo interpositis, uncia dimidia eodem modo parata hauriatur, atque interjecto bihorio iterum in usum vocetur. Die febre vacuo horis quaternis drachmae duae porrigantur. Eodem modo ichthyocollam adhibere licet.

Lens crystallina, a Thilow 6) commendata, non sine fructu exhibita est. Lentis crystallinae pulveratae drachma una vel duae in apyrexia praebendae sunt.

Tela Araneae. Febrifuga hujus remedii virtus jam dndum cognita fuit. Tempore recentiori a Laubender 7) maxime celebrata est. Quod Faust, Iackson, Hiller, Horn, Theissen multis confirmarunt periculis. Triginta aut quadraginta grana

5) Bullet. des sciens. par. l. societ. philomat. à Par. An. XI. N. 77. p. 130.

6) Allgem. med. Annal. 1806. S. 1153.

7) ibid. 1810.

in pilularum formam redacta intra apyrexiam dari convenit.

III. Albuminosa.

Albumen ovi Seguin 8) collae loco felici utebatur eventu. Ante horroris stadium aegrotum, febre intermittente laborantem, trium ovorum albumen aqua tepida et sacchari pauxillo remixtum sumere jussit.

IV. Amara.

Radix Gentianae rubrae. Ante chinam detectam hoc medicamen praestantissimum fuit febrifugum. Nunc quoque non pauci medici ad febres intermittentes debellandas ejus efficaciam laudarunt. Pulvere chinae factitio, ab Hufeland praescripto, radix Gentianae continetur. Gentiana Chirayta, nuperrime ex America in Europam translata, pariter adhibetur ab illius regionis medicis 9).

Lignum Quassiae praecipue accomodatum est febri intermittenti ventriculi atque tubi alimentarii atonia conjunctae. In hoc casu magno exhibitum est emolumento.

Herba Centaurei iisdem in casibus, quibus lignum quassiae, adhibenda est.

---

8) Journal de medicine. 1809. Hufeland Jorunal Bd. 29. St. 4. S. 98.

9) Richard's med. Botanik. Bd. 1. S. 502.

Cortex Simarubae in febribus intermittentibus vernalibus saluberrimum obtulit effectum.

Cortex Simarubae versicoloris in Brasilia, testante St. Hilaire, in eundem finem administratur 10).

Trifolium fibrinum. Febres intermittentes levioris indolis saepe huic cessere remedio.

Lignum Serpentinum imprimis adversus quartanas atroces commendatum est 11).

Herba Chironiae angularis, in America boreali Centaurei minoris loco usitata, maximum tulit auxilium 12).

Strychnos pseudochina in Brasilia, ut St. Hilaire refert, ab incolis adhibita, febribus intermittentibus minori dosi quam china ipsa mederi dicitur 13).

Cestrum diurnum. Infuso foliorum hujus plantae Peruani utuntur febrifugo 14).

Cortex Menispermi crispi in Bengalia in locum chinae substituitur.

Radix et herba Taraxaci praecipue indicantur febribus intermittentibus, obstipationibus viscerum abdominalium conjunctis. Omnes febres

---

10) Richard. l. c. Bd. 2. S. 1214.
11) Richter's Arzeneimittellehre. Bd. 1. S. 329.
12) ibid.
13) Froriep. l. c. Bd. V. S. 101.
14) Richter. l. c. Bd. 1. S 331.

taraxaci usu se curasse, et nunquam cortice peruviano opus fuisse, asserit Tode 15).

Herba Cardui benedicti in febribus intermittentibus, quarum fons in ventriculi et intestinorum adynamia cernitur, cum fructu praebetur.

Herba Calcit rapae, a medicis Gallis 16) adversus morbum dictum commendata, omnibus respondet desideriis. Temporibus recentionibus temere tradita est oblivioni.

Herbae Cardui Mariae succi recenter expressi unciae quatuor febri intermittenti optime mederi dicuntur.

Summitates Absynthii multis in regionibus medicamentum exhibent domesticum, imprimis spiritu frumenti infusae. J. Frank usus est succo recenter expresso et alcohol, singulorum drachmis tribus, bis terve intra apyrexiam repetendis. Methodum hanc fere sòlis militibus et rusticis, deficiente quidem omni diatheseos inflammatoriae indicio, accommodatum esse, recte monet. Herba quoque Genipi albi (Artemisiae rupestris) saepe adversus febres exhibetur. In Istria Artemisia coerulescens pro medicamento adhibetur domestico febrifugo 17). Baccharis genistalloides

---

15) Klinische Berichte. St. 1. S. 40.

16) Buchoz, sur le Chassetrape etc. Par. 1787.

17) v. Martens, Reise nach Venedig. Th. 1. S. 290.

et venosa, Artemisiae Absynthio similes eodem modo in febribus ex usu esse dicuntur.

Cortex Cascarillae 18) maximi momenti quoad febrium ietermittentium est medelam. Praecipue digestioni respondet debilitatae.

Cortex Angusturae verae a multis chinae ipsi praefertur. Minori, quam china, dosi febrem intermittentem optime debellare valet, ut ex periculis, a Williams, Filter, Oberteufer institutis liquet.

Cortex Liriodendri ab Hildenbrand 19) valde laudatus est. Multas febres atroces hoc remedio sanavit eadem, qua chinae, portione.

Variolaria amara, cujus extractum spirituosum nuperrime Cassebeer 20) laudat, multum auxilii polliceri videtur. Accurationem hujus remedii notitiam obtinere non potui, omnes enim libros, qui mihi praesto erant, frustra consului.

Praeterea medicamenta febrifuga, ad hanc classem pertinentia, laudantur: fel taurinum 21) et suillum 22) herba Fumariae et Scordii.

V. Adstringentia.

Taninum, vel ut alii malunt, Tanninum (principium coriaceum, materia scytodephica). De

---

18) Junker's, therapia generalis. p. 302.
19) Ratio, medend.. Tom. II. p. 200.
20) Vogt, Lehrb. d. Parmakodynamik. Th. 1. S. 526.
21) Reil, Ueber d. Erkennt. u. Kur. d. Fieber. Th. 2. p. 185.
22) Hufeland. l. c. Bd. 29. St. 3. p. 97.

hoc remedio J. Frank 23) audiatur: „Vir amicus, inquit, Cl. Pezzoni Byzantii multas febres intermittentes ope Tannin (a granis XC—C. nycthemeri spatio) sanavit."

Cortex Quercus, jam pridem usitatus, nunc saepissime in chinae vices substitutus est, suadentibus medicis Percival et Roeder 24).

Gallorum turcicarum usus in febribus intermittentibus inprimis a Cullenio laudatus est 25).

Radix Bistortae et Tormentillae haud minus a Cullenio, Gianini contra morbum dictum administratae sunt.

Cortex Granatorum. Rehmann 26) non absque emolumento putamina fructus granati (olim Malicorium nominata) pro china adhibuit. Scrupulos duos ad drachmam inter apyrexiam sexies non sine fructu praebuit.

Cortex Rhois cotini magnam febrifugam virtutem involvere dicitur, testante Zsoldos 27).

Radix Sympherocarpi temporibus recentioribus pro febrifugo habetur.

---

23) l. c. p. 357.
24) Samml. auserl. Abhdlg. z. Geb. f. prakt. Aerzte. Bd. 2. et 8.
25) Mat. med. Tom. II. p. 56.
26) Hufeland. l. c. Bd. 32. St. 6. S. 99.
27) Zsoldos, historia Rh. cotin. Taurini 1815.

De radice Plantaginis latifoliae Senac 28) refert: „ego quidem, inquit, jusculum, quo erant incocta herbae folia, febres contumaces abegisse, novi.“ Quod medici plures confirmaverunt.

De seminibus coffeae, et viridibus, et tostis, medicorum opiniones valde discrepant Medicis Grindel 29) Paldamus, Weber, Neumann, semina coffeae magnam praebuere utilitatem. Neminem autem, febre intermittente laborantium, coffeae usu se liberasse, Horn profitetur. Grindel intra bihorium seminum coffeae viridium gr. XV in pulvere adhibuit. Neumann 30) infusum ex seminum coffeae tostorum uncia una paratum ante paroxysmum in usum vocavit. Infusum coffeae cum pulvere radicis rhei medicamentum domesticum est usitatissimum.

Corticem Alni medici antiquiores febrifugum praedicarunt praestantissimum.

Corticem Ulmi interiorem Cottington 31) utilissimum aeque ac corticem peruvianum invenit.

Folia Ilicis aquifolii imprimis Reil 32) ad febres intermittentes commendavit.

---

28) De recondita feb. interm. tum remitt. natura etc Amstelod. 1754. Lib. II. cap. IX.

29) Hufeland. l. c. Bd. 28. St. 6. S. 99.

30) Horn's Archiv f. med. Erfahr. Jahrg. 1811. Bd. 1. S. 462.

31) Samml. auserl. etc. Bd. 15. S. 573.

32) Memorabil. clin. Fasc. II. p. 134.

Cortex Salicis, tum albae, tum fragilis, tum latifoliae, febrifugi nomen sibi peperit per medicos Günz 33), Akenberg, Rosenblad. Atrocissimas febres intermittentes salicis infuso-decocto profligavit Bremer 34).

Cortex Hippocastani ab Hufeland 35), praecipue chinae substitutus, magnam obtinuit famam. Corticis Hippocastani subtilissime pulverati, radicis zingiberis pauxillo mixti, gr. X. singulis horis hauriantur, ita ut intra apyrexiam uncia dimidia consumatur. Extractum corticis Hippocastani simillimum esse chinae dicitur.

Radicis Ratanhiae aegrotis febre intermittente laborantibus, magna cum fibrae muscularis laxitate conjuncta, multo cum fructu imperavit Küster 36).

Cortex Swieteniae febrifugae in India orientali egregio adhibetur successu. Breton 37) eum cortici peruviano ipsi praefert.

Cortex Ligni Mahagony 38) aeque ac Fraxini 39) saepe in chinae locum substituti, justis responderunt desideriis.

---

33) De cortice salic. cort. peruvian. substit. Lips. 1787.
34) Allgem. med. Annal. 1812. S. 506.
35) l. c. Bd. 21. St. 3. p. 167.
36) Horn, l. c. November 1819. S. 429.
37) Samml. etc. Bd. 30. p. 11.
38) ibid. Bd. 14. p. 413.
39) ibid. Bd. 4. p. 323.

Lichen parietinus, a Sander 40) laudatus, dimidiam febrium intermittentium partem propulisse dicitur, confirmantibus medicis Viennensibus, quibus negotium, hujus remedii efficaciam explorandi, demandatum erat.

Corticis fructus Castaneae drachmam dimidiam totidemque radicis Caryophyllatae chinae efficacia pollere, Molwitz 41) dicit.

Radix Chininchae a Pavo, botanices professore, Uanna febrifuga nominatae, ab incolis terrae Peruanae in febribus intermittentibus tanti aestumatur quanti China 42).

Cortex Corni floridae. Vis hujus remedii similis esse dicitur corticis peruviani. Medici Americae borealis corticis virtutem valde laudant febrifugam. Carpenter nuperrime principium quoddam alcalinum detexit, quod acido sulphurico nuptum, a Morton chinino sulphurico aequiparatur 43). Neque minus cortice Corni circinatae et seriacae utuntur.

Cynarae Scolymi petiolorum decoctum in febrium intermittentium epidemia, quae in Galliae oppidulo Valency grassata est, magnam attulit utilitatem 44).

---

40) Die Wundflechte als Arzeneimitt. etc. Sondershs. 1815.
41) Hufeland. l. c. Th. 31. St. 3. p. 84.
42) Richter. l. c. Bd. 1. p. 491.
43) Vogt. l. c. Bd. 1. p. 526.
44) Richter, specielle Therapie. Bd. X. p. 340.

Lycopus europaeus. Tota planta exsiccata, et in pulverem subtilem redacta, bis ter per diem a scrupulo ad drachmam a G. F. Re commendata, in Italia bono cum fructu adhibetur 45).

Cortex Pruni spinosae. Teste Iuch 46) iste cortex omnia chinae surrogata superat. Quum planta in Germania nascatur, digna est, ut pericula ulteriora a medicis instituantur.

Cortex Carapae guyanensis. Ex analysi chemica, quam Robiquet instituit, cortex acidum cinchonicum et cinchonium continet. Non irrito successu adversus febres intermittentes in usum vocatus est, in quibus cortex peruvianus incassum adhibitus erat.

Folia Eupatorii perfoliati Anderson in omnibus morbis, in quibus china indicata erat, cum fructu adhibuit.

Cortex Mangles virtute febrifuga insigniri dicitur.

Syringa vulgaris. Extracti ex hujus plantae fructibus parati jamjam granum unum, per biduum porrectum, vi febrifuga omnino non caret 47).

Cortex Cedrelae febrifugae in India orientali adversus febres intermittentes in usum vocatur.

---

45) Allgem. med. Annal. 1822. p. 840.
46) Med. chirurg. Zeit. 1808. N. 77. p. 44.
47) Allgem. med. Annal. 1822. p. 970.

Cortex Calisayae Arollendae. Charpenter 48) ex eo majorem quam ex china partem chininii obtinuit. Recentissimo aevo magnam febrifugi consecutus est famam.

Cortex chinae. Vix ullum remedium tantam sibi peperit famam et celebritatem, de nullo medici tantopere dissensere, nullum denique in medicina tanti est momenti, quam china. In America meridionali detecta, china sensim sensimque per totum terrarum orbem divulgata est 49). Iam per saecula paene duo illud certo divinum remedium valuit et valebit in aeternum. Primum contra febres intermittentes praesertim commendata et vario modo adhibita est. Quum autem per chemicos Gallos, Pelletier et Caventou 50), chininium detectum esset, hoc prae ceteris chinae praeparatis in usum vocatur. Merito quidem! Nullum enim chinae praeparatorum, tam exigua dosi propinatorum, tam prompta sequitur sanatio, quam chininium, praecipue acido sulphurico nuptum. Adhibetur granum unum ad duo, majores doses facile gravissimas cient congestiones. Multi medici exprobrant chininio, quod ejus usus facillime faciat recidivas.

---

48) Froriep. l. c. Bd. 9. p. 96.
49) Sprengel, Geschichte der Medizin. Bd. 5. p. 328-351.
50) Annales de Chemie et de Physique. Vol. 15. p. 289 et 337.

Sed recidivarum periculum averti potest, si febri chininii ope profligata per aliquod tempus chinae aut pulvis aut decoctum in usum vocatur. Hoc modo nonnullae febres intermittentes, quarum curationem observare mihi licuit, in Policlinico medico Berolinensi prosperrime depulsae sunt.

Praeter chininium, aliud principium alcalinum ex cortice peruviano elicitur, cinchonium chemicis salutatum. Quod remedium acido sulphurico nuptum mitiorem exhibet efficaciam, quam chininium. Proinde tenellis bene conducit.

Praeterea cortex chinae St. Luciae pridem ex usu fuit. Friese et Hufeland cum fructu grana tria ad decem praebuerunt 51). Corticem chinae novae Scheel 52) adversus febres intermittentes in usum vocavit; jam vero est abrogatus.

Gummi Kino 53), cortex cerasi, et radicis pruni silvestris, Cupressi coni 54) pridem febrifuga medicamenta laudabantur.

VI. Gummi-resinosa.

Quod ad remedia febrifuga, ex gummi-resinosorum classe petita, pertinet, praecipue in usum

51) Hufeland, l. c. Bd. 5. p. 866.
52) Pfaff, Mat. Med. Bd. 2. p. 309.
53) Voigtel, Arzneimittellehre. Bd. 2. Abth 1. p. 508.
54) Trnka de Krzowitz historia feb. inter. p. 503.

vocanda sunt adversus febres intermittentes chronicas, quae viscerum abdominalium v. c. lienis hepatisque obstructionibus consociatae sunt, et per nosologos nomen febris splanchemphracticae tulerunt. In quibus casibus gummi Ammoniacum, Asae foetidae subinde optimum praebuerunt effectum55). Ope Myrrhae febres intermittentes, quae longum per tempus chinae repugnaverunt, sanavit Griffith 56).

VII. Acria.

Flores et radix Arnicae. Iam Stoll 57) in febribus intermittentibus radicem Arnicae adhibuit. Novissimi temporis medici eadem non incassum usi sunt. J. Frank 58) commode adnotavit casus, quibus Arnica praecipue indicatur: „praesertim in tertianis autumnalibus, in quartanis, in febribus intermittentibus sine nota caussa recidivas patientibus, cum proclivitate ad obstructiones viscerum, ad oedema, absente inflammatoria quacunque dispositione."

Herbae et radicis Chelidonii majoris ope contumaces febres quartanas sanari, Wendt et Linnaeus professi sunt.

---

55) Reil, Ueber d. Erkennt. u. Kur. d. Fieb. Bd. 2. p. 185. Berend, Vorles. üb. prakt. Arzneiwiss. Bd. 2. p. 253.
56) Sammlung etc. Bd. 6. p. 579.
57) Heilnngsmethode. Bd. III. Th. 1. p. 178.
58) Op. cit. p. 365.

Radix Pyrethri praecipue respondet febribus intermittentibus, typhi indolem prae se ferentibus. Ante accessionem majores dentur portiones 59).

Radix Galangae non raro auxilium attulit febribus, quae ex viscerum abdominalium atonia pullulabant 60). Plurimis amaris febrifugis pauxillum radicis Galangae additur.

Piperis nigri usus in febribus intermittentibus antiquissimus est. Jam Galenus hoc remedium ad curandam hemitritaeam adhibuisse dicitur. Nuperrime L. Frank 61) exhibuit grana decem ad sedecim de die. Principium gentilitium a chemicis Oerstaedt, Pelletier, et Pontet in pipere nigro detectum, et nomine piperini salutatum, pro egregio habetur febrifugo. 62) Piper hispanicum etiam adhiberi, narrant Bergius et Niemann 63).

Seminum sinapeos cochlear majus quater singulis diebus porrigi jubet Bergius 64) in febribus magna organorum digestionis debilitate consociatis.

Semina phellandrii aquatici Lange 65)

---

59) Richter, Arzeneimittl. Bd. 2. p. 161.
60) Voigtel. l. c. Bd. 2. Abth. 2. p. 490.
61) Med. chirurg. Zeitung 1821. N. 9 u. 10.
62) Allgem. med. Annal. 1824. p. 256.
63) Pharm. Batav. Tom. 1. p. 235.
64) Mat. med. p. 581.
65) Abhdlg. üb. d. höchst wunderb. Wirk. d. Rossfench. Helmst. 1802.

commendavit. J. Frank 66) quoque omnes febres, quae anno 1801. Vindobonae grassatae sunt, tuto sanavit.

Radix Allii olim et interne et externe ad febres intermittentes debellandas in usum vocata est. Celsus jam monuit: „aegrum ante accessionem allium edere."

Radicis Anemones pavonicae infusum non temere haberi febrifugum, asserit Grateloup 67).

Semina Tlaspios in Ruthenia nuperrime cum fructu adhibita sunt 68).

Agarico albo (Boleto laricis) pariter Rutheni utuntur, ut Pallas testatur.

Radix Zedoariae antiquioribus medicis communissimum fuit remedium febrifugum.

Herba Lepidii ruderalis, Ruthenis medicamentum domesticum, omnes febres intermittentes, absque ulla praeparatione mirum in modum profligare valet. Praestantissimi hujus remedii vindices sunt Rittmeister 69) et Ruhl 70). Utuntur infuso ex uncia herbae dimidia atque aquae libra parato. Cujus infusi omni bihorio cochlearia duo sumantur.

---

66) l. c. 359.

67) Annales de scienc. phys. Tom. VI. p. 2..7.

68) Scherer's med. Annal. Bd. 8. p. 30.

69) Hufeland. l. c. Bd. 45. St. 5. p. 131.

70) Russ. Samml. f. Natur u. Heil. Bd. 2. St. 4. p. 660.

Nuper Ambrosia artemisifolia, Indigofera argentea, Toddalia aculeata 71) contra febres intermittentes laudata sunt.

De Scammonio, quod pridem in medicinam introductum est, Grulingius 72) haec asserit: „in febribus tertianis, inquit, saepissime magno nominis honore resina scammonei ad grana octo vel decem in conserva rosarum uncia dimidia vel drachma una uti soleo."

Huc quoque pertinet gummi guttae usus. Olim ex hoc gummi arcanum febrifugum magna efficacia conspicuum in Gallia paratum fuisse, Senac 73) refert.

Radix Hellebori nigri praecipue adversus febres quartanas, obstipationibus viscerum abdominalium complicatas, imperata est ab Hahnemann 74) et aliis.

Folia Alypi in Provincia Galliae non sine prospero adhibentur eventu. Infusi ex drachmis quatuor parati dimidium mane sumatur, et paulo ante febris insultum dimidium alterum.

Cortex Trichiliae catharcticae in Brasilia adversus febres tertianas in usum vocatur 75).

---

71) Richter. l. c. Bd. 2. p. 290 seqq.
72) Obs. et Curat. Cent. VI. Obs. 65.
73) l. c. §. 13.
74) Hufeland. l. c. Bd. 2. p. 532.
75) Richard. l. c. Bd. 2. p. 1140.

De millepedum virtute febrifuga Riedlinus 76) haec tradit: „nobilis quaedam virgo per longum temporis spatium febre laborans intermittente, brevi bene convaluit, tribus asellis exhibitis."

De radice Ipecacuanhae J. Frank 77) disserit: „radicem ipecacuanhae tum in refracta dosi, tum ad ipsam nauseam vomitumque usque porrectam non raro in febribus intermittentibus tollendis proficuam invenimus, invenerunt jam Gianelli et Wichmann. Praecipue hoc remedium in iis intermittentibus conducit, quas insolita ciborum aversio comitatur."

Flores Narcissi silvestris s. Pseudonarcissi interdum febres intermittentes refraenaverunt.

Radix Asari saepe eximio adhibita est usu in febribus, quae ex viscerum abdominalium manabant debilitate atque obstructione. S. Pauli 78) hoc medicamen maxime laudat. „Quartana laborantibus, inquit, veluti panacea asari radix est."

VIII. Narcotica.

Amygdalae amarae primum a Bergio 79) nuper a Frank 80) commendatae sunt. In pulvere

---

76) Lin. Med. Ann. II. Obs. 4. p. 106.
77) l. c.
78) Quadrip. Botan. Class. II. p. 23.
79) l. c. p. 412.
80) Hufeland. l. c. Bd. 24. St. 6. p. 154.

quoque antifebrili Heurnii continentur. 81). E multis medicorum observationibus liquet, hoc medicamentum praestantissimis adnummerandum esse febrifugis. Ante paroxysmum amygdalarum amararum una aut duae sumantur, inter apyrexiam VII-VIII earum ter die porrigi possunt. J. Frank 82) amygdalas amaras „pro suspecto atque haud securo remedio" habet. Asserit enim hominem quartana laborentem, cui aygrta unciam unam amygdalarum amararum porrexisset, periisse.

Herba Belladonnae. In epidemia quadam Horn 83) inter LVIII febres intermittentes XXVII optime belladonnae ope sanavit, nec non quartanam simplicem brevi tempore. Vindobonae adversus atrocissimas quartanas non incassum adhibita est belladonna 84). Primo granum dimidium ad grana tria auctum quater die dari potest.

Opium antiquissimis temporibus medici Galenus 85) Paulus Aegineta 86) Alexander Trallianus 87) administrabant. Congruit autem hoc remedium febri intermittenti nervosam indolem

81) Haen rat. medend. P. XI. c. 1.
82) l. c. p. 366.
83) Archiv f. med. Erf. Bd. 10. 1809. p. 321.
84) Osiander, Nachrichten von Wien. p. 35.
85) de theriac. ad Pis. cap. 13.
86) Lib. II. C. 23.
87) Lib. XII. C. 8.

exhibenti, atque spasmis, magno rigore, vomituque complicatae. Hisce conditionibus febres intermittentes domare optimeque chinam corrigere valet 88). Eodem modo extractum hyoscyami atque aconiti adhiberi potest.

Corticem Pruni Padi Coste, Willemet Bremer 89) magno cum fructu in usum vocaverunt. Prunus virginiana in eundem finem ab Americanis medicis exhibetur 90).

Datisca cannabina virtutis febrifugae omnino non expers, a Rubini commendata est, aut pulveris scrupulum unum bis quaterve per diem, aut extracti grana quatuor ad grana sex 91).

Nux vomica jam pridem usitata, praecipue ab Aaskow 92) Marcus, Horn in febribus intermittentibus diarrhoea conjunctis, ad quas idcirco china adhiberi non poterat, commendata est. Praebium VI-VIII granorum sumi jusserunt. Sed cauta et quasi timida manu hoc remedium in usum vocari oportet. Granis enim quindecim nucis vomicae puellam interfectam esse, narrat F. Hoffmann 93).

---

88) Reimarus, dissert. animad. de Op. praecip. in feb. us. exhibens. Lug. Bat. 1784.
89) Horn's Archiv 1802. Bd. 1. p. 41.
90) Richter's Speci. Therapie. Bd. 10. p. 350.
91) Medicinische National-Zeitung 1798. p. 845.
92) Auserles. Samml. etc. Bd. 14. p. 609.
93) Medicin. ration. Syst. Tom. II.

Fabam St. Ignatii nuci vomicae persimilem in morbo dicto imperavit Haase 94).

Lignum colubrinum eadem, qua nux vomica virtute praeditum et strychnini aliquid continens, priore tempore Boerhaave in usum vocavit.

Agaricus muscarius (Amanita muscaria) in Lithuania remedium domesticum, sed sane periculosum, quandoque in atrociore quartana adhibetur.

Virtutem Taxi baccatae febrifugam Harmund, Brera 95) praecipue adversus febres quartanas laudarunt, quorum hic praeter foliorum et corticis pulverem, intra nycthemerum partitis vicibus ad drachmas duas datum, extracti grana decem ad grana duodecim adhibuit.

Stipitum Dulcamarae infusum febrem intermittentem feminae, octavum in mensem gravidae, brevi profligavit, teste Collin 96).

IX. Volatilia.

Radix Valerianae minoris praecipue medicaminibus amaris conjuncta laudem sibi peperit in febribus intermittentibus. Adhibetur tum in pulvere, tum in infuso.

Radix Serpentariae virginianae a Sydenham non sine fructu adhibita est in febre intermitt-

94) Comment. de fab. St. Jgnatii Lips. 1822.
95) Comment. med. Tom. I. p. 794.
96) Ann. med. III. P. I. C. 2. p. 103.

ente rebelli. Imperavit tam serpentariam solam, quam chinae nuptam 97). Nuper a Keer, medico Americano, pulvis atque decoctum hujus plantae commendata sunt 98).

Flores Chamomillae vulgaris jam ab antiquissimis medicis, Galeno et Dioscoride 99) celebratas, in febribus vel chinae rebellibus proficuas invenit Heberden. Dosis est scrupulorum duorum pluries per diem hauriendorum.

Corticem aurantiorum febribus intermittentibus ventriculi atque tractus intestinalis debilitate consociatis mederi, liquet ex multis observationibus a medicis Lanzoni, Werlhof 100) et Moehrin 1) collectis. Utuntur externo aurantiorum cortice, in pharmacopolarum officinis nomine flavedinis corticis aurantiorum servato. Tum pulvis, interdum cum syrupo citri in electuarium redactus, tum infusum vinosum adhibetur.

Radix calami aromatici multis in casibus salutaris exstitisse dicitur praecipue Opio nupta. Uncia una et dimidia cum aquae unciis sex intra nycthemerum propinari potest 2).

---

97) Opera. p. 310.
98) Richter. l. c. p. 344.
99) De mat. medic. Lib. III. C. 145.
100) Commerc. literar. Norimb. A. 1735. hebd. 2. 3. p. 98.
1) ibid. A. 1736. p. 20.
2) Horn. l. c. 1805. Bd. 8. p. 36.

De radicis *caryophyllatae* vi febrifuga medici dissentiunt. Buchave 3) Frank 4) radicem cortici aequiparant peruviano, alii autem v. c. Oberteufer 5) nulla dignam habent laude. Medici Belgici radice *gei rivalis* bono cum fructu utuntur.

Radicis *imperatoriae* pulverem utilem comperit Horn 6).

Cortici *Winterano* s. *magellanico* in febribus intermittentibus malignis ad typhum vergentibus multi tribuerunt laudem. Saepe cortice chinae conjungitur.

Folia *Thujae occidentalis* a Canadae incolis in usum vocata non destituuntur utilitate 7).

Cortex *Magnoliae glaucae* in America boreali saepe ad coervendum morbum nostrum imperatur 7).

Cortex *Pichurim* imprimis febribus intermittentibus tertianis applicatus justis respondit medicorum votis 9).

Nuces moschatae. Bergius hoc medicamine, in pulvere a scrupulo dimidio ad unum exhibito, paroxysmo jam instante, atrocissimas debellavit febres.

---

3) Obs. circa Gei urban. in feb. etc. Hafn. 1781.
4) Hufeland. l. c. Bd. 24. St. 4. p. 152.
5) Museum d. Heilk. Bd. 1. p. 112.
6) l. c. 1808. Bd. 8. p. 361.
7) Richard. l. c. Bd. 1. p. 222.
8) ibid. Th. 2. p. 1040.
9) Meyer in: Abhdlg. ein Privatgesell. in Boehmen 1782. Bd. 5. p. 66.

Radix Dictamni albi s. Fraxinellae olim usitata, saepius spem non elusit 10).

Cortex Alyxiae aromaticae. Blume, horti botanici Bataviensis praefectus, magni aestumat hoc medicamen in curandis febribus intermittentibus. Nuperrime haec planta ad Europam translata, a Nees de Esenbeck examini et botanico et chemico submissa est 11).

Praeterea commendata sunt recentiori tempore Caesalpinia Bonducella et Scopalea aculeata, quas repetitis submittere experimentis, operae pretium videtur 12).

Oleum animale Dippelii jam dudum in febribus intermittentibus, praecipue malignis adhiberi, notum est. Cujus efficaciam Werlhoff 13) Haller 14) valde laudarunt.

Fuligo splendens ab Aaskow commendata, nostratibus perraro in usum vocatur 15).

Oleum betulinum s. Rusci in Ruthenia pro domestico exhibetur medicamento febrifugo.

Moschus atque Castoreum praecipue in febribus, quarum paroxysmos comitantur nervosa

---

10) Stoerk, libell. de flamm. Jovis. Cap. II.
11) Ueber ein neues Arzneimittel etc. Schmalkalden 1824.
12) Richter. l. c. 337.
13) Obser. de feb. Sect. II. p. 78.
14) Dissert. de praepar. ol. anim. ejusq. in feb. interm. usu.
15) Sammlung. auserles. Abhdlg. etc. Bd. 14. p. 610.

varia symptomata, multum pollicentur.

Camphora ab Amelung in febribus intermittentibus nervosis commendata est. Magno et periculoso rigore, praecipue opio remixto utilis est ad sudorem provocandum.

Phosphorus. Hufeland, Peters, Lobstein atrocissimas atque rebelles febres hujus medicamenti usu debellarunt. Adhibuerunt oleo therebinthinae dilutum. Eodem modo medici nonnullorum nosocomiorum Vilnensium phosphorum contra pertinacissimas febres sine obstructionibus cum fructu in usum vocarunt, quod J. Frank testatur. Medicamentum illud arcanum, quod Wustney 16) postea in medium protulit, phosphorum continuit. Remedium autem est valde ambiguum.

Spiritum salis ammoniaci, ad guttas aliquot in aqua centaurei minoris una vel altera ante insultum hora assumtum, mirifice laudant Agricola, Hartmann et alii.

X. Acida.

Acido sulphurico diluto febrem intermittentem, quam china fugare non poterat, prompte debellavit Hildenbrand 17).

---

16) Horn. l. c. 1811. Bd. 2. p. 610.
17) Hufeland. l. c. Bd. 13. St. 1. p. 141.

Elixir acidum Halleri, (mixtura sulphurico-acida Ph. Bor.) a Mathy 18) in usum vocatum saepe morbum sanasse dicitur.

Acidum muriaticum. Hopf 19) febres intermittentes, miasmate paludoso ortas, acidi muriatici ope profligavit. Imperavit acidi muriatici drachmam unam, aquae cerasorum nigrorum unciis tribus atque syrupi Rubi Idaei unciis duabus remixtam. Iahn 20) in stadio horroris opium, in aestus stadio et per reliquum tempus acidi muriatici, quantum aegrotus sine molestiis capere posset, ordinavit. Hoc modo multas quotidianas et tertianas sine ullo alio medicamento propulit.

Chlorinam primus in usum vocavit non sine successu Kapp 21). Novem aegrotos, quorum tres jam per annum quartana laboraverant, chlorinae quatuordecim dies adhibitae usu salvos reddidit Kretschmar 22).

De acidi phosphorici efficacia antifebrili disserit Lange 23), febrem intermittentem, quam cortex peruvianus flavus sanare non valebat, optime devictam esse hacce medicina:

---

18) Briefe über Gegenstände der Therapie. 1801. p. 124.
19) Allgemeine med. Annalen. 1812. p. 130.
20) Mat. med. Bd. 2. p. 460.
21) Horn's Neues Archiv etc. 1807. Bd 6. p. 320.
22) Hufeland. l. c. Bd. 36. St. 5. p. 127.
23) ibid. Bd. 35. St. 5. p. 113.

Rcc. Pulv. chin. opti. drachmas tres
Acid. phosphoric. drachmas duas
Aquae Menth. piperit. uncias quatuor
Oxymell. simpl. unciam dimidiam.

Hujus mixturae ternis horis hauriri jussit cochlear majus.

Acidum aceticum in contagiosa quadam intermittentium epidemia praestantissimum tulisse auxilium tam ad cavendum, quam sanandum, testatur Forestus. Eadem Senac, Paullini, Coling observaverunt.

Acidum citri cum infuso seminum coffeae celeberrimum esse medicamentum domesticum asserit Aaskow 24). Tertianam, adversus quam chinae portiones majores incassum adhibitae erant, sanatam vidit Meza 25). „Hausto integri mali citrei succo, eoque in aquae aut infusionis theae cyathum instillato, paroxysmos cohiberi; imo in certis regionibus ad austrum sitis non praesentius remedium exhiberi aegros“ refert Senac 26).

XI. Alcalina fixa.

Kali carbonicum. Praecipue medici antiquiores salis Absynthii in usum vocati valde lau-

24) Sammlung auserl. Abhdlg. Bd. 14. p. 11.
25) ibid. Bd. 15. p. 373.
26) l. c. p. 11.

darunt efficaciam. Grainger 27) solo salis Absynthii usu febrem intermittentem coercuit. Celeberrimum remedium Krollii habuit salis Absynthii drachmam dimidiam, aquae Cichorii uncias tres, acidi sulphurici guttas duodecim. Nuperrime Schneider 28) Kali carbonicum cum emolumento adhibuit ad recidivas cavendas.

XII. Terrea.

Calcaria carbonica. Antiquitus medici proficuas invenerunt testas ovorum et ostrearum, quae nunc quoque partem pulveris antifebrilis Pharmacopoeae Batavae constituunt. Febres intermittentes quotidianas et tertianas infantum pulvere testarum cochlearum siccatarum se sanasse, Goelis nuper tradidit. 29)

XIII. Salia.

De aluminis efficacia medicorum sententiae discrepant. Kreyssig 30), Meza 31) multas quartanas rebelles cum successu curavere. Horn 32), qui diversissimas formas hujus medicamenti adhibuit,

27 Ueber die ktlten Fieber. Leipzig 1785. p. 112.
28) Ueber d. sporadischen Typhus u. Wechselfieber. p. 307.
29) Medicinisch. chirurg. Zeitung. 1812. Bd. 4. N. 18. p. 47.
30) Krankht. ds. Herzens. Bd. 2. Abth. 2. p. 714.
31) Sammlung auserles. etc. Bd. 15. p. 374.
32) l. c. Bd. 7. p. 265.

nil utilitatis vidit. Kreyssig extracta amara alumini conjuncta valde proficua expertus est.

Sal ammoniacum (Ammonium muriaticum) magnam in febrium intermittentium curatione celebritatem sibi peperit. Quum pane omnibus febribus communia sint symptomata gastrica, et haec uberrimum fontem sistant, ex quo febres scaturiunt, ammonium muriaticum omnibus paene casibus respondet. Hinc antiquitus ei vim tribuerunt febrifugam, sed gravioribus casibus curandis haud sufficit. In leviori febri vernali curationem exequi valet perfectam, et nullum remedium ad chinae usum sustinendum melius praeparat, quam ammonium muriaticum. S. G. Vogel 33) Richter 34) J. Frank 35) praestantissimi ejus sunt vindices. Apte conjungitur extractis amaris et tartari stibiati pauxillo.

XIV. Metalla.

Carbo vegetabilis primum a Calcagno commendatus, postea multis subjectus est periculis. L .Frank 36) Makesy, Calvert et Tolly carbonis efficaciam febrifugam cortici peruviano aequiparabant.

---

33) Handbuch der praktisch. Arzeneiwissenschaft. Bd. 1. p. 180.
34) Specielle Therapie. Bd. 2. p. 669.
35) l. c. p. 370.
36) Med. chirurg. Zeitung 1815. N. 49.

Porrigantur grana quindecim ad viginti, ter quaterve per diem.

Sulphur jam dudum inter febrifuga insignem tenuit locum. Ettmüller, Riverius, Haen et Grainger 37) multas adnotaverunt observationes, quibus elucet, hoc remedium pridem adversus multas febres intermittentes cum fructu adhibitum esse. Flores sulphuris in usum vocari oportet.

Ferrum. Limaturam martis cum extractis amaris conjunctam multi in usum vocavere. Grainger aquam, in quam ferrum candens demiserat, praecipue contra febres, quae ex lienis tumore atque obstructione manabant, salutiferam invenit. Recentiori tempore ferrum sulphuricum magnam conquisivit laudem. Praesertim Marc 38), medicus Gallus, hoc remedium commendavit. Prae omnibus autem ferrum hydrocyanicum nuperrime in chinae locum substitutum est. Emetico dato, febris intermittens semper hoc medicamine profligata est. Zollikofer hoc modo aegrotos triginta septem celeriter in integrum restituit. Hosack 39) et Busch 40) has observationes confirmarunt. Grana duo ad sex bis quaterve singulis diebus praebuerunt. Inprimis laudem eapro-

37) l. c. p. 111.
38) Dictionnaire des sciences medicales Tom. XIV, p. 485.
39) Gerson u. Iulius Magazin etc. Bd. 6. p. 580.
40) Med. chirurg. Zeitung 1823. N. 63. p. 270.

pter meretur hoc remedium, quod digestioni bene conducit. Ammonium muriaticum ferratum (Flores salis ammoniaci martiales) in febribus atrocissimis, quas viscerum abdominalium obstructiones comitantur, utile se praestitit. Aquae medicatae martiales non minus pollicentur auxilii in curandis febribus intermittentibus. Quotidianum aquae Spadanae et Pyrmontanae usum jam Huxham 41) commendavit.

Hydrargyrum, praecipue hydrargyrum muriaticum mite, in febribus intermittentibus, hepatis obstructione stipatis, ad salivationem usque porrectum, magnam tulit celebritatem 42). Quartanam, per annum et ultra rebellem aethiope antimoniali, s. hydrargyro oxydato sulphurato-stibiato, propinatis minimis dosibus, intra mensem debellavit J. Frank 43). Ne dicamus de adhibendo mercurio in iis morbis, qui intermittentis adinstar decurrunt, atque syphilidis progenies sunt.

Antimonium crudum quondoque exhibitum est cum successu. Sulphur stibiatum aurantiacum et stibium sulphuratum rubrum (Kermes minerale) magnam praebuisse utilitatem,

---

41) Oper. Tom. I. p. 52.
42) Grainger. l. c. p. 98. Hoffmann. l. c. Tom. III. C. 8.
43) l. c. p. 372.

narrant Unzer 44) et alii 45). Stibium calcareo-phosphoratum (pulvis febrifugus Jacobi. James powder) saepe ab Anglis administratum, in febribus intermittentibus non roro opem tulit. Eodem eventu tartarus stibiatus non solum ad febres intermittentes gastricas, verum etiam ad simplices, praecipue vernales adhibetur. Peysson granum unum tartari stibiati, aquae unciis decem solutum dedit, praebio gradatim aucto, ita ut hora prima cochlear unum, secunda cochlearia duo, tertia tria porrigerentur. Quae abhibendi methodus in levioribus casibus raro spem elusit. Butyrum Antimonii (Liquor stibii muriatici), ab Ettmüller commendatum, et ad guttas duas cum haustu vini datum, febrem quartanam solvisse dicitur.

Zincum oxydatum album in febribus intermittentibus semper sine fructu tentavit Brera 46). Idem confirmat Causland 47).

Circa bismuthum nitricum oxydatum album multa instituit pericula Henke 48), ex quibus liquet, hoc medicamentum efficacia non carere

---

44) Der Arzt. Bd. 12. p. 43. Theden, Selle.
45) Theden. Selle.
46) Med. prakt. Bemerk. üb. d. in d. klin. Anst. zu Pavia behdelt. Kranklt. a. d. Ital. v. Weber. Bd. 2. p. 297.
47) Sammlung auserl. u. s. w. Bd. 2 p. 252.
48) Hufeland. l. c. Bd. 53. St. 6. p. 27.

antifebrili. Duo ad tria grana, alternis vel ternis horis dedit. At huic remedio multum inest periculi.

Cupri sulphurici ope Hoffmann 49) atroces subegit quartanas. Monro 50), Adair 51), Richter 52) hanc confirmaverunt observationem. Congruit autem febribus intermittentibus, quas maxima intestinorum atonia et diarrhoea comitantur. Periculo non vacat hoc remedium, idcirco cauta prudentique manu adhibendum est.

Arsenici oxydati albi usus est antiquus. Iam Lentilius et Laib 53) adhibuerunt, quod Stahl acerbe vituperavit. Duos, ait, aegrotos arsenico adversus febres intermittentes, quibus laboraverant, adhibito, interiisse. Deinde Fowler, Burdach, prae omnibus Heim 54), Harless, Bürger, Winkler, Hoffmann, Ebers, Brera, Tantini, Vogt et alii arsenicum valde laudarunt. Mox autem prodierunt adversarii gravissimi, imprimis Hufeland 55), Henning, J. Frank, qui argumentis probarunt, arsenici

49) l. c. Tom. II. Cap. VIII. p. 290.

50) Arzneimittellehre. a. d. Engl. von S. Hahnemann, Bd. 1. p. 198.

51) Sammlung auserles. u. s. w. Bd. 11. p. 646.

52) Specielle Therapie. Bd. 2. p. 702.

53) Ephem. Nat. Curio. Dec. II. a. 3. obs. 46. a. 5. in addend. p. 474.

54) Horn. l. c. 1810. Bd. 3. St. 2.

55) l. c. 1800. p. 153

usum perniciosissimorum et febre intermittente graviorum morborum, v. c. ventriculi scirrhi, icteri, hydropis, cachexiae, febris lentae, semina spargere. Et J. Frank 56) dixit, venenum illud febrem intermittentem quidem pellere, sed aegrotos interficere. Sed medium tenuere beati. Multae febres intermittentes sine ullis detrimentis sanatae sunt, in multis arsenicum nullo modo adhiberi potest. Ad eas febres autem reservetur arsenicum, quae omnia remedia eludant. Hic legem sequamur: in ancipiti casu anceps remedium melius, quam nullum. Id autem inprimis dispiciendum est, ut caute prudenterque arsenicum in usum vocetur. Heim 57) hanc formulam imperat:

Recipe arsenici pulverati
kali carbonici singulorum drachmam unam
aquae fontanae libram unam

misce et coque in balneo arenae ad perfectam arsenici solutionem, refrigeratis adde:

spiritus angelicae compositi unciam unam
aquae destillatae quantum sufficit,

ut tota solutio constituat libram unam. Misce, Signa: horis alternis quinque ad decem guttae cum aqua sumantur.

Multa supersunt medicamenta, quae ab anti-

---

56) l. c.
57) l. c.

quissimis medicis adhibita, jam dudum oblivioni tradita sunt. Sed ut medicaminum, quae febrifuga habita sunt, grex omnibus absolvatur numeris, haec quoque paucis proferam.

Sunt enim: corda bufonum, leporum, cranium humanum, urina, varia stercora v. c. suis, canis maris, avium, et multa alia, de quibus praesertim Trnka de Krzowitz 58) evolvatur.

Haecce ad remedia intus adhibita spectant. Sed extrinsecus multa, eaque haud negligenda in usum vocantur, quorum praestantissima sunt: balnea tepida, jam ab Hippocrate et Celso laudata, vesicatoria, unctiones abdominis ex unguento tartari stibiati, applicatio chininii sulphurici super loca epidermide nudata, fonticuli in lumbis institutis, electricitas.

De amuletis aliisque rebus in aegrorum phantasiam agentibus nulla faciam verba. Si quis rerum huc pertinentium notitiam sibi parere cupiat, librum consulat praeclarissimum a Trnka in lucem editum59).

58) l. c. p. 461—64.
59) l. c. p. 643—656.

VITA.

Ego Godofredus Ferdinandus Habedank, evangelicae confessioni addictus, Tilsae anno MDCCCV natus sum parentibus dilectissimis, quibus adhuc viventibus gaudeo. Primis literarum elementis imbutus, gymnasium, quod Directore Cel. Coerber ibi floret, per plures frequentavi annos. Inde maturitatis testimonio munitus, anno MDCCCXXV. Regimontum me contuli. In numerum civium Academiae Albertinae ab Ill. de Baer, t. t. Prorectore Magnifico, receptus, ab Ill. Burdach, t. t. Decano, medicorum albo adscriptus sum. Studiorum autem haec erat ratio:

Docuerunt me logicem et philosophiam, quam dicunt practicam, Ill. Herbart; encyclopaediam medicam, zoologiam, zootomiam, historiam evolutionis, anatomiam et theoreticam et practicam Ill. de Baer; anatomiam generalem et specialem, physiologiam Ill. Burdach; botanicen et generalem et specialem Ill. Meyer; chemiam et physicen experimentalem, mineralogiam beatus Hagen; pharmacologiam, therapiam tam generalem quam specialem Ill. Richter; universam chirurgiam et ophthalmologiam Ill. Unger; artem obstetriciam et theoreticam

et practicam, artem formulas medicas concinnandi, morbos sexus sequioris et infantum Ill. Henne; pharmaciam Cel. Dulk; acologiam Cel. Burdach jun. Praeterea policlinicum medicum, clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmiatricum, clinicum medicum, nec non maiocomium ducibus Richter, Unger, Elsner, Henne frequentavi, tam auscultando, quam aegrorum curam in me suscipiendo.

Anno MDCCCXXVIII ad almam musarum sedem Berolinensem profectus, ab Ill. Bethmann-Hollweg, t. t. Rectore Magnifico, in album relatus, ab Ill. Rudolphi, t. t. Decano, medicae adscriptus sum facultati. Audivi autem per annum et dimidium Professores Celeberrimos disserentes: de vesaniis Ill. Horn; de medicina forensi Ill. Wagner; de praecipuis medicorum tam veterum, quam recentiorum scholis Ill. Hecker; de Goethio poëta ejusque scriptis poëticis Cel. Hotho. Denique interfui policlinico medico ducibus Perill. Hufeland, Ill. Osann et Busse, clinicis medicis ducibus Ill. Bartels et Cel. Wolff, clinicum ophthalmiatricum duce Ill. Iüngken, clinica chirurgica ducibus Ill. Rust et Ill. de Graefe.

Tentaminibus et examine rigoroso absolutis, spero fore ut, dissertatione hac palam defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.